



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum  
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

**Laymann, Paul**

**Dilingae, 1698**

Titulus XXIII. De Solutionibus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

## TITULUS XXIII.

### DE SOLUTIONIBUS.



Um pignora & fidei iuraciones  
sint quædam cautiones seu  
satisfactiones de solutione de-  
biti facienda, idè subijci-  
tur titulus iste.

#### CAPITULUM I.

#### Ad hoc.

##### PARAPHRASIS.

Sicuti filius debita patris, ita Prælatus de-  
bita antecessoris, quæ pro Ecclesia con-  
traxit, solvere tenetur.

##### SUMMARIUM.

1. Prælatus successor, quando obligetur  
ad debita antecessoris?
2. Quid probare teneatur, qui anteces-  
sori beneficiario pecunias mutuas de-  
dit, ut a successore solvi hæc debe-  
ant?
3. Si necessarium sit ad dissolutionem mu-  
tui, immobilia Ecclesie bona dare,  
vel distrabere, quid faciendum?
4. Quis debita illa dissolvere debeat, qua  
beneficiarius v.g. pro propria utilitate  
fecit?

**N**Otandum. Sicuti filius hæreditatis pa-  
ternæ jura & commoda accipiens, et-  
iam debita, & obligationes ejusdem in se  
suscipere censetur, ita & Prælatus, seu Re-  
ctor Ecclesie, debita antecessoris, si pro  
Ecclesia contracta sint, exsolvere tenetur.  
Est porò discrimin inter filium & Prælatum  
successorem, quia filius & quicumque hæ-  
res jus successionis accipit à defuncto, quæ  
causa est, quòd obligatio hæredis ad sol-  
venda debita defuncti extendat se ad omnia,  
saltem secundùm vires hæreditatis c. 1. de

testamentis. At verò Prælatus, & qui-  
libet beneficiarius, jus successionis con-  
trahit à Superiore, & idè non tenetur  
antecessoris debita solvere tenetur, nisi  
tantùm, quæ is nomine Ecclesie contra-  
xit, ut hic dicitur; & ratio est, quia  
si debita pro Ecclesia sive in commodum  
Ecclesie contracta, aut obligationes de-  
scriptæ sunt per locationem, emptionem  
&c. Ecclesia obligata est, & consequen-  
ter Prælatus successor, qui Ecclesie præ-  
est, & bonorum Ecclesie administratio-  
nem gerit, ea solvere tenetur.

Quæritur primò. Qui antecessori Præ-  
lato pecunias mutuas dedit, quidam  
probare teneatur, ut successor eas sol-  
vere teneatur? Respondeo, & dico primo.  
Si Prælatus excedendo facultatis suæ li-  
mites pecunias mutuas accipiat, Ecclesia  
aut successor ejus non obligatur, nisi  
quatenus in Ecclesie utilitatem ventum  
fuisse, ostensum fuerit, juxta c. prelati,  
de fidei iuribus, & docent omnes. Extra  
probatio creditori incumbit. Censetur ite-  
m Prælatus excedere potestatem patris.  
Si ita mutuum accipiat absque Capituli  
consensu, aut sine justa causa necessitatis,  
ut res Ecclesie immobiles, aut mobilia  
pretiosas alienare necesse sit. Secundo. Si  
mutuò contrahendum tantæ quantitas  
sit, ut ex redditibus mensæ suæ, aut ad-  
ministrations suæ commissis à Prælato  
solvi non possit. Tertiò. Si certa summa  
per statutum, vel capitulationem decerni  
sit Prælato, supra quam mutuum acci-  
piendo Ecclesiam, aut mensam suam gra-  
vare non possit. Videri potest Molin. in  
2. disp. 300. n. 2. Barbosa super cis. c. pre-  
lati. n. 12.

Dico secundò. Si Prælatus secundum limites facultatis, vel administrationis suæ pecunias mutuas accipiat etiam sine Capituli consensu, quando is non requiritur; vel si cum Capituli consensu, quantalibet pecuniæ summam mutuò acceperit, obligatur Ecclesia & Successor, juxta hoc c. Neque in isto casu aliud ostendere cogitur mutuator, nisi hoc ipsum, quod videlicet pro Ecclesia, seu ob utilitatem ipsius pecuniæ mutuò accepta fuerit: id verò fiet, exhibendo instrumentum authenticum, in quo hoc scriptum sit, vel alias afferendo conjecturas, ex quibus id probabiliter colligi possit, videlicet quòd Ecclesia eo tempore pecunijs indiguerit, vel ædificium novum extrui curarit. Neque opus est ostendere pecunias re ipsa versas fuisse in tale opus aut in Ecclesiæ utilitatem *argum. L. ult. Cod. de alimentis pupillo præstandis: & tradit hic Abb. n. 2. & in cit. c. penult. n. 5. Marcus Antonius Genuensis in practicaliibus q. 139. Menochius in arbitrarijs casu 132. n. 32. contra Innoc. hic. & Covarr. 2. resolutionum c. 17. n. 3.* Ratio dari debet, quòd tale onus probandi grave & difficile videri debeat, eaque ratione plerique abstereri possent, à beneficio mutationis Ecclesijs præstando, si plus, quàm dixi, probare deberent.

3 Sed quid si ad dissolutionem mutui necessarium sit bona immobilia &c. vendere, vel in solutum dare, debetne creditor ostendere pecunias versas esse in rem Ecclesiæ? Respondetur, esse distinguendum, si enim tempore accepti mutui, talis fuit rerum status, ut appareret, non posse eam pecuniæ mutuò acceptæ quantitatem solvi sine tali alienatione, hoc casu necessarium est, ut id creditor ostendat, quæ est communis doctrina ex authent. hoc jus porrectum Cod. de SS. Ecclesijs. Sin autem tempore mutui accepti non fuit talis status, ac proinde illi, quibus talis facultas in jure non negatur, pro Ecclesiæ utilitate, se pecunias mutuò accipere expresse, aut tacite profiteantur, id ipsum à creditore sufficit ostendi. Ne-

que opus est demonstrare, quòd pecuniæ versæ fuerint, tametsi postea necessarium esse appareat ad dissolutionem debiti rem Ecclesiæ immobilem vendere, aut in solutum dare. Ita significat *Eberhardus tom. 1. consilio 36. n. 11. & Gloss. in cit. authent. Probat.* Ratio est, quia hæc alienatio non ad debiti contracti obligationem, quæ initio substitit, præsumitur, sed ad eventum executionis potius spectat, quæ in tali casu tum necessaria, tum juribus permilla est.

Quæritur secundò. Si rector Ecclesiæ, 4 aliùve beneficiarius ob propriam necessitatem, v. g. tempore infirmitatis suæ debita contraxit, num ejus successor solvere teneatur? Respondeo, & dico primò, si Rector, vel beneficiarius defunctus reditus Ecclesiasticos reliquit, ex ijs talia debita dissolvi debent.

Dico secundò. Si nullos reditus reliquit, tunc refert scire, utrùm sufficientes ipsi ab Ecclesia deputati sint, necne. Si enim sufficientes habuit, tunc debita ejus, etiam propter necessitatem contracta, ex patrimonialibus bonis ejus solvi debent *argum. c. 3. de pignoribus.* Sin autem sufficientes reditus non percepit, idque ob causam accidentariam v. g. fructuum unius, vel alterius anni sterilitatem, tum successor in beneficio obligatio imponenda est, ut ex futuris reditibus solvat sicuti tradit *Abbas in cit. c. 3. n. 5. Parisius de resignatione beneficiorum lib. 1. q. 16. n. 51.* Excipi tamen debet, si tenuitatem reddituum scivit beneficiarius, & nihilominus accepit, hoc casu ex patrimonialibus hæredes debita solvent, sicuti iidem tradunt, & *Gl. in c. 1. causa 21. q. 1. & sumitur ex Legge si pro ea, 10. junctâ Gl. v. capisse. Cod. mandati.*

Dico tertio. Si patrimonialia bona non habet beneficiarius, tum Ecclesia necessarias expensas funeris, & factas in infirmitate &c. dissolvere cogitur, *argum. hujus cap.* consequenter ad hoc quodlibet beneficium censetur esse obligatum, ejusque obligatio ad successorem in beneficio pervenire, dummodo

modo hoc onus sustinere possit, alioquin aliunde Episcopi providentiâ subsidium adferri debet.

Corollarium. Ex dictis apparet, textum hujus cap. ampliandum esse cum *Abb. in cit. c. 3.* quod successor solvere debeat debita antecessoris non tantum, quæ pro Ecclesia contracta sunt, sed interdum etiam, quæ pro necessaria sustentatione personæ: quod maximè locum habet in Episcopis, aliisque Prælati, quippe quos inter & Ecclesiam eorum major conjunctio intercedit, quàm inter alios beneficiarios, & eorundem beneficia.

## CAPITULUM II.

## Si quorundam.

## PARAPHRASIS.

Gregorius IX. universis Prælati prohibet, ne quispiam Ecclesiam suam pro alienis debitis gravare, aut litteras alicui, seu sigilla concedat, quibus Ecclesia obligari possit; quod si hoc attentatum fuerit, Ecclesiæ ad solutionem talium debitorum non teneantur, & is, qui contra prohibitionem facere præsumpserit, ab administratione spiritualium, ac temporalium suspensus sit.

## SUMMARIUM.

*Casu, quo Prælati gravet alienis debitis Ecclesiam, nulla est obligatio.*

Notandum. Si Prælati Ecclesiam gravet, aliena debita nomine Ecclesiæ suscipiendo, seu fidejübendo pro alijs, aut litteras, vel sigilla tradendo, quibus Ecclesia obligari queat, irrita est obligatio, & Prælati suspensionem ab administratione Ecclesiæ in spiritualibus, & temporalibus ipso jure contrahit. Adverte autem ad verbum *gravare*; si enim justa, & rationabilis causa sit, & Capitulum consentiat, Prælati nomine Ecclesiæ suæ pro alio fidejübere potest, imò etiam sine Capituli

consensu, si alienum debitum modicum sit; cum enim ex rationabili causa bene meritis, v. g. ex rebus Ecclesiæ donare possit, multò magis fidejübere potest, nam hæc officia charitatis, & beneficentia sunt à Prælati non aliena, ut docui in *cap. nati. de fidejussionibus*. Quare eadem ratione Prælati ex bonis Ecclesiæ, si abundantia sint, mutuo dare poterit, licet ad monet *Joan. And. & Abbas in fine c. de p.*

His duo adde, primum. Quod hæc constitutio, quatenus pœnalis est, & certam infert, Episcopos non comprehendit, juxta *c. quia 4. de sententia excommunicationis in 6.* Alterum, ab ista suspensione, cum in perpetuum lata, & non revocata sit, Episcopum dispensare posse. Sciti docet *Suarez, de censuris disp. 11. c. 1. n. 2.* & docui *lib. 1. tra. 1. p. 3. c. 4. n. 3. contra Abb. hic n. 5.*

## CAPITULUM III.

## Odoardus.

## PARAPHRASIS.

Clericus Odoardus obligatus erat Clerico P. & quibusdam Laicis ad solvendam pecuniæ summam: ij, cum Odoardus coram officiali Rhemenis Archidiaconi convenissent, Odoardus factus est debitor, sed propter inopiam solutioni inoparem esse se dixit. Nihilominus officialis eum solvere recusantem excommunicavit. Hæc res, cum ad Gregorium IX. delata esset, is rescriptis ad delictos suos, si constiterit, quod Odoardus seu in totum, seu ex parte debitum solvere non possit, ut sententiam excommunicationis relaxent, recepta prius ab illo cautione idonea, si ad fortunam meliorem venerit, quod debita dissolvere.

## SUMMARIUM.

*Quando Clerici gaudeant privilegio hujus Capituli?*

Notar.

**N**otandum, Clericus privilegij Clericalibus gaudens ob debita civilia, si ob inopiam ea solvere non possit, nec excommunicari, nec incarcerari potest, sed neque ad bonorum cessionem compelli, dummodo cautionem præster, saltem juratoriam, quod satisfacere velit, si ad meliorem fortunam venerit. Ita *Gl. & Canonista super hoc c. Covarr. 2. resolutionum c. 2. n. 9. Menochius in arbitr. casu 183. prope finem. Farinacius in praxi criminali q. 27. n. 65. & dixi lib. 3. tra. 2. c. 12. n. 5.*

Explico verba notandi. Primò intelligi ea non debent de Clericis, qui in Ordinibus minoribus constituti sunt, præterquam si Ecclesie inserviant, vel in habitu, ac toalarâ constituti ex voluntate Episcopi in studijs versentur. Sicuti videre est apud *Covar. cit. n. 9. §. sed & quo.*

Secundò dixi, constitutionem tantum habere locum, si agatur de debito ex causa civili: secus autem est, si debitum sit ex delicto, vel ex commisso dolo, tunc Clericus capi, & carcerari potest. Sicut docet *Farinac. n. 27. Barbosa n. 10. & 15. hic & dixi de hoc in c. 1. not. 3. de deposito. Idemque locum habet, si Clericus debitor fugam arripiat, aut de fuga suspectus sit, sicuti docui in eodem c. 1. not. 4. & tradunt *Farin. & Barbosa cit. locis.**

Tertiò dixi, si solvere non possit Clericus ob inopiam, quam utique probare tenetur, saltem summarie, ac præsumptivè ex communi hominum opinione, aut suorum redituum tenuitate, prout *hic Barbosa replicat n. 4.*

Quartò dixi, quòd excommunicari non possit, eò quòd contumacia in solutione committenda esse nequeat, si solvendi impotentia adsit, cum impossibilium nulla obligatio sit. Quamobrem cum hic delegatis præcipitur, ut latam excommunicationis sententiam relaxent, id vel significat declarationem, sententiam irritam fuisse, qualis loquendi modus etiam reperitur in *c. ad probandum 24. de re judicata. ubi Gl. V. cassata explicat, cassa & irrita nun-*

tata, vel continet relaxationem, seu absolutionem sententiæ, quoad forum externum, cum in eo non constitisset officiali, allegationem inopiæ veritate nixam esse.

Quintò dixi, quòd carcerari non possit. Id verò limitatur primò, si Clericus in dolo versatus sit, seu deceperit creditorem, v. g. fingendo se Laicum, vel abscondendo bona sua, ne ex ijs solutio fiat; aut si coram Judice falsò negarit debitum; tunc in carcerem conjici potest, non præcisè ratione debiti civilis, sed ratione criminis, juxta ea, quæ docui in *c. 1. de deposito. & docet Molin. tra. 2. disp. 5. q. 1. n. 13. & 21.* Et simile est, si ex prohibito sibi ludo, vel malâ administratione, & dilapidatione debitor sit, de quo *Barbosa hic. n. 21.* Secundò. Si Clericus debitor de fuga suspectus sit, Ecclesiastici judicis auctoritate capi, & in carcere detineri potest, donec integrum debitum solvat, vel de solvendo cautionem idoneam præster, quin & ipsemet creditor eum per se, vel per alium capere potest, & ad judicem Ecclesiasticum ducere, si in actuali fuga fuerit, sicuti tradit *Covar. 2. resolutionum c. 1. n. 9. Barbosa hic n. 10. Molin. n. 22.*

Sextò dixi, quòd ad bonorum cessionem compelli non possit, sicuti hic Canonista docent, nominatim *Abbas n. 8. Gl. in L. milites c. in principio. ff. de re judicata*, etenim quòd privilegium in ea Lege militibus versantibus in expeditione tribuitur, idem *Glossa, Bartolus*, & alij ajunt, habere locum etiam in quasi militibus, videlicet in advocatis, & patronis causatum, & multò magis in militia cælestis militibus, sive Clericis. Consistit autem privilegium in eo; nempe si debitor in mora solvendi sit, postquam à judice condemnatus est ad solvendum, executio fieri potest in bonis ejus, quòd si ex his solutio integra haberi non possit, debitor, petente creditore, in carcerem conjiciendus est, nisi cessionis bonorum beneficio uti malit debitor *L. 1. cod. qui bonis cedere possunt.* Tum verò omnia debitori bona auferuntur, & creditoribus

coribus addicuntur remanente obligatione, ut si is ad meliorem fortunam venerit, reliquum etiam solvere debeat, quatenus commodè potest, ita ut non egeat. *L. is 4. ff. de cessione bonorum, & docui lib. 3. tra. 2. c. ult. n. 5.* At verò Clericus eo beneficio fruitur, ut, si de debito condemnatus sit, vel illud confessus, ac postea in mora solvendi existat, executio quidem fieri possit in rebus, ac bonis ejus, assignando ea creditoribus, tamen in hac re habenda sit ratio, ut non egeat, sive ut portio ei relinquatur, ex qua honestè sustentare se possit, sicuti colligitur ex *c. 2. de fidejussoribus.*

Id verò in quæstione est, num Clericus huic privilegio renuntiare possit, ita ut ob debitum, si in mora solvendi sit, in carcerem conjici queat, vel ut usque ad ultimum obolum, quem habet, solvere teneatur. Probabilis est, renuntiare non posse ne quidem cum Juramento, pro ut ex communiore docet *Barbosà hic n. 24.* eò quòd privilegium hoc non in favorem Clericorum singulorum, sed totius Ordinis clericalis concessum fuerit, ne Clerici ob debitum merè civile, indignè tractentur, vel cum opprobrio Cleri mendicare cogantur. Vide, quæ latius de hac re disputat *Molin. disp. 57 l. n. 24.*

## CAPITULUM IV.

## Is qui.

## PARAPHRASIS.

Qui pecuniam tanquam indebitè à se per errorem solutam condicere seu repetere vult, ostendere tenetur, indebitè solutam fuisse, præterquam, si adversarius neget solutionem sibi factam esse, tunc actor, si ostenderit, se solvisse, onus probandi in negantem conjicit, quòd pecunia debita fuerit.

## SUMMARIUM.

1. *Indebitè ex errore solutum, quando repeti possit?*

2. *In dubio nemo facile præsumendus est debitor.*

3. *Nisi de mendacio convictus sit reus.*

Notandum primum. Qui errore debitor solvit, existimans debitum esse, quod erat indebitum, id condicere, seu repetere potest. *L. 1. ff. de conditione indebiti.* Exempli causà, si defunctus debitum solvit, hæres autem ejus rei ignarus iterum solvat, solum repetere potest. Si autem sciens iterum solvat, præsumitur de nare, ut repetere non possit, juxta *repositam 53. ff. cuius per errorem dari repetitur est, ejus consilio dati donatio est.*

Est autem discrimen, num id, quòd solutum est, indebitum sit tam naturaliter, quam civiliter, an verò civiliter tantum. In primo casu indistinctè competit repetitio, sive per errorem facti solutio facta sit, sive per errorem juris; ut si mutuatarius ultra sortem quidpiam solvat, arbitrarij, se ad hoc ex mutuo obligari, solum repetere potest. Ratio reddi debet ex *L. non hoc 14. ff. de conditione indebiti.* nam æquum est, neminem cum alterius jure fieri locupletiorum, & tradit *Gl. in regulà 53.* ubi addit, idem esse sententiam, si quis solvit, quòd naturaliter tantum indebitum est. Debitum autem civiliter, si ipse accipienti mutuum pecuniam chirographum dedi, in quo reddere promissum postea pecuniam non recepi, chirographum repetere possum, vel agentem exceptam non numeratæ pecuniæ repellere *L. si quis 7. C. de numerata pecunia,* consequenter si solvi, quasi ex promissione chirographi jure actionis civilis debuerim, solum condicere possum. In altero verò casu, videlicet civiliter duntaxat indebitum, ut legatum ex testamento imperfecto, potest, an per facti errorem, seu ignorantiam (non supinam *L. nec supina 6. ff. de juri & facti ignorantia*) solutio facta sit, quia hæres putavit, testamentum solenne esse, tunc repetitioni locus est; an ex juris errore solverit, existimans ex testamento imperfecto legata deberi, hoc casu repetitioni

petitio negatur *L. cum quis 10. C. de juris & facti ignorantia L. 2. & seqq. ff. eodem. regula 13. in 6. ignorantia facti excusat non juris, & explicavi lib. 1. tra. 4. c. 20. n. 7.* Excipe, nisi, qui indebitum tale solvit, sit mulier, miles, minor, agricola. His enim jura ignorantibus venia datur *L. regula 8. ff. de juris & facti ignorantia.*

2. Notandum secundum. Licet nemo in dubio presumendus sit debitor, quia contractam esse obligationem, est quid facti, quod affirmans probare debet, sicuti & vice versa, si constat, contractum esse debitum, debitor autem solutionem factam affirmet, id probare debet *L. 1. C. de probationibus.* Attamen postquam aliquis pecuniam, tanquam debita sit, solverit, postea vero per errorem solutam esse dicat, quia erat indebita, hoc ostendere cogitur, ne hic dicitur (signatè dico, tanquam debita sit, sive adjecta causâ v. g. ex mutuo, empto, donato) Sin autem id tantum constet, quod Titius pecuniam numerârit Cajo, audiendus est Titius, si dicat, se mutuum dedisse, aut deposuisse, sicuti *hic Abbas docet n. 2. & allegat Glossa in L. cum quid. 3. ff. si certum petatur.* Ubi dicunt, quod nemo facile presumitur donare, sed potius mutuum, vel depositum dare, si quis nul-

lâ causâ expressâ pecuniam v. g. alteri numeret.

Notandum tertium, Ex mendacio, de quo reus convictus est, præsumptio contra eum oritur, eum malam causam fovere, & idè intentio actoris confirmatur. Ita colligitur *ex hoc c.* quando creditor conventus per conditionem indebiti ob errorem soluti, si neget factam sibi solutionem, eâque contra ipsum probata sit, confirmatur intentio actoris, quod pecuniam non debuerit, sed per errorem solverit. Quare adversarius præsumptione gravatus ostendere cogitur, pecuniam fuisse debitam: simile quid habetur in *L. ult. ff. de rei vindicatione*, quod possessor ab actione reali, seu vindicatione intentâ, liberare se possit negando, se possessorem esse; sin autem convictus fuerit possidere, tunc propter mendacium ortâ contra ipsum suspicionem, actoris intentio adèd roboratur, ut à judice in possessionem rei petite mittendus sit, tamen si suam esse non probaverit, manente tamen priori possessori quæstione proprietatis, si rem sibi ablatam ad se pertinere, vel ad adversarium non pertinere ostendere velit *authent. de triente. & semisse S. illud. collatione 3.*

## TITULUS XXIV.

### DE DONATIONIBUS.

#### CAPITVLVM I.

#### Prudentes.

#### PARAPHRASIS.

Vir nobilis hanc sibi quodammodo Legem imponit, ut si quid ultrò tribuat, id à se deberi existimet, & nisi beneficia sua auget, nihil se præstitisse arbitretur. *Gregorius I. lib. 14. registri. indictione 7.*  
P p 2. *epistolæ*

**D**ona, sive contractus alij sunt onerosi, seu reciproci, & alij gratuiti. Cum itaque de reciproci, seu ex utraque partium parte obligationem continentibus, dictum fuerit, videlicet de emptione, locatione, permutatione, feudo &c. sequitur, ut de gratuitis dicatur, quorum præcipua species est donatio.